

R444726

SPECIMEN MEDICO - INAUGURALE,
QUAEDAM DE METHODO
MEDENDI GENERALI

SISTENS,

QUOD, CONSENSU ILLUSTRIS MEDICORUM OR-
DINIS IN UNIVERSITATE CAESAREA LITERA-
RUM DORPATENSI,

PRO GRADU DOCTORIS MEDICINAE
ET CHIRURGIAE

RITE CAPESSENDO,

BENEVOLO BRUDITORUM EXAMINI OFFERT

AUTOR,

CHRIST. FRID. GUIL. UNVERDORBEN.

MARCHIGUS,

MEDICINAE AC CHIRURGIAE IN CURONIA PRACTICUS,

DIE XXII. SEPTEMBRIS MDCCCIII.

Tartu Riikliku Ülikooli
Raamatukogu

43334

DORPATT,

LITERIS MICHAELIS GERHARDI GRENTZII,
TYPOGRAPHI ACADEMICI.

1803

Methodus synthetica et analytica.

Duplex datur methodorum genus, quod medico in colenda disciplina sua aequae ac arte inservit; *synthetica* nimirum, altera vero *analytica*. Haec, cum phaenomena vitae aegrotantis rectius perpendere operam navat, ad causas adscendit iisque inquirendis fludet. Descendit illa a causis earumque effectibus ad phaenomena. Facile inde apparet, synthetica hac methodo cognitionum varietates simplificari, et in veram rerum naturam medicum eo penitus intrare posse. Qui vero, quanta sit et quam gravis cognitionum copia, quae ad medicinam rationalem faciunt, pro comperto habet; qui non ignorat, quanta saepius angustia medicus prematur, cum miram phaenomenorum inter se litem componere in artis exercitio nesciat, a therapia, quam specialem vocant, omnino hic destitutus, sexcentis agitato dubiis atque consilii expers, quidnam faciendum sit, nec ne? is certe methodi pretium ac dignitatem, agnoscere manique facere

non recusabit, quae singula colligit sub generalibus, differentias essentiales a speciosis et modo opinatis rite distinguit, rerum cognoscendarum divitias minuit, minutas systematice collocat, et tali modo rationis lucem longe lateque in tenebris spargit, ut firmiori nunc pede incedamus.

§. 2.

Inter omnes constat, qui cognitionum humanarum historiam atque naturam meditationis suae objectum fecerunt, in quovis harum cognitionum genere incipiendum esse a singulis ac specialibus. His primum copiose collectis eo progredimur, ut iudicii ingenique acutioris ope similia similibus adjungamus, heterogenea sejungamus, atque tali modo systema condamus, in quo diversa rerum et cognitionum genera apte collocantur eorumque conspectus faciliior redditur. Perutile hoc omni aevo illis visum est, qui in colendis disciplinis, aut stabiliendis, versabantur. Datorum vero objectorum collectione uberrima opus erat, antequam ea in ordinem redigere atque dogmata inde generalia desumere licuit. Duplex igitur patuit via et patet, bene de scientiis aequae ac artibus mereri; altera, qua singulas materias studiose colligimus, collecta accuratius describimus et servamus; altera,

qua comparatione collectorum ingeniosissima eruimus, quae multis competunt, quae aliis negantur, et sic leges elicimus generales, quibus in posterum uti juvabit. Utraque via ad gloriam ducit.

§. 3.

Synthetica methodo Therapia generalis utitur.

Liceat ea, quae hucusque dicta sunt, in medicinam transferamus et evidenter eluceſcet, diversas disciplinas, e quibus componitur tota, diversa quoque methodo eſſe colendas, ſi utilitatis atque incrementi aliquid ex hac cultura illis conciliare ſperamus. Therapia generalis nil eſt et debet eſſe, niſi ſynopſis praeceptorum, quae ex ſingulis obſervationibus iisque uberrime repetitis hauſta ſunt et quaſi theoriam artis exercendae complectuntur. Methodo igitur ſolummodo ſynthetica utitur, ſi fundamento rationali ſuperſtructa apparet. Haec medicinae pars ab antiquiſſimis iam aevis magni exiſtimata eſt nomineque *doctrinae de communibus in arte praefidiis* rectius inſignitur. Non inepte etiam Cl. *Baldinger* illam „*metaphyſicam praxeos medicae*“ ſalutavit. Naturam morborum ſpectat, non formam et phaenomena, quae tot modis variantur

et juvenilem adhuc medicum saepissime ita perturbant, ut sibi recte consulere omnino nesciat. His in angustiis vero therapia generalis lucem spargit, quae, spreto morbi nomine, praecepta nobis offert, perniciosum ejus genium et essentialem characterem eruendi eique medendi.

§. 4.

Therapiae generalis antiquitas, scriptores et fata.

Cum tanta sit doctrinae hujus praestantia et dignitas, non est, quod miremur, a principibus artis nostrae prima ejus fundamenta jam fuisse condita. *Hippocrates* exempli causa, in libro *de arte*, *de diaeta*, *de natura humana*, *de aetate*, *de humoribus*, pauca hinc illinc sparsa; in libro autem *de aëribus aquis et locis*, in *praenotionibus*, in libro *de humidorum usu*, *de purgantibus*, denique in *aphorismis* multa nobiscum communicavit, quae Therapiam generalem spectant.

Quae in *Celsi* libro secundo Cap. IX-XXXIII leguntur, rudimenta habemus doctrinae ejusdem, genio nimirum aevi sui notata.

Asclepiades Bithynus praecepta quaedam therapeutica generalia edidit, quae hodierno etiam aevo valent et ingenii sui perspicacissimi

notam ferunt. Demonstravit nempe, quanti ponderis sit, in morbis levioribus loco remediorum drasticatorum regimine modo uti; methodi evacuatoriae abusum iisdem fere ex argumentis, e quibus a medicina hodierna reprehenditur, castigavit; excitantia et prae ceteris vinum generosum in morbis asthenicis magni fecit, ac si nostratum aliquis fuisset. Et haec quidem omnia non sine accuratiore moderamine. Quin imo methodum psychicam adhibuit.

Scholae *Methodicorum* primam de indicationibus mentionem debemus, quarum uberiores disquisitionem a *Galeno* institutam reperimus.

Quae *Oribasius* de applicatione venae sectionis, enematum et de vi aëris in organismum generatim locutus est, doctrinae nostrae quidem augmentum non peperisse videntur, attamen probant, principia therapeutica generalia temporis sui non esse rejicienda.

Per novem nunc fere saecula doctrinam istam omnino neglectam vidimus.

In medio nempe saeculi decimi tertii *Joannes de St. Amand*, ni fallor, scholae *Parisensis* discipulus, doctrinam de indicationibus auctiorem reddidit, et -- liceat addam -- correctionem. Contraindicationes enim fere undique accuratius exposuit, etsi etiam hinc illinc supersti-

tionis astrologicae, qua aevum suum premebatur, maculae appareant. Methodi causalis dignitatem diligentissime exhibuit demonstravitque, hanc mere symptomatice fere semper esse praefendam, nisi circumstantiae peculiare quam maxime urgeant.

Monendum erit hoc in loco, usque ad nostra fere tempora sub titulo Therapiae generalis nil aliud comprehensum fuisse, quam doctrinam de Indicationibus, de *vitali* nimirum, *therapeutica* et *prophylactica*; de indicantibus et indicatis, denique de contraindicatione et contraindicantibus.

Inter scriptores saeculi decimi sexti, decimi septimi, decimi octavi, denique nostri eos modo nominasse liceat, qui therapiam generalem non sine ingenio illustrarunt.

L. Fuchs (Prof. Tubingens.) *Medendi method.* Basil. et Lugd. Bat. 1544. Paris. 1580.

Ejusd. *De curand. ration.* Lugd. Bat. 1548.

I. Actuarius, *Method. medend.* Venet. 1544. 4.

I. Riolani, *General. method. medend.* Paris 1578.

I. Fernelii, *Therapeutic. universal.* Libr. VII. Froft. 1581. Hannov. 1607.

L. Mercati, *De commun. et pecul. praesid. art. med.* 1578. Colon. 1608.

S. Sanctorii, *Method. vitand. error. omn. qui in art. med. conting.* L. XV. Venet. 1603. Fol.

- H. Capivaccii*, Medend. method. univers. edid. *Beyer*.
Frcft. 1606.
- D. Sala*, Ars medic. Patav. 1741.
- Er. Vallesii*, Method. medendi. Lovan. 1645.
- W. Rolfsink*, Ord. et method. medicin. special. commen-
tator. Jen. 1665. Titulus, quo liber iste insignitur,
therapiam quidem specialem magis, quam generalem,
spectare videtur; ipsa vero praefationis verba sat pro-
bant, ut de generali methodo medendi sermo sit.
„Non proponuntur specialia certis affectibus destinata,
„sed in genere his vel illis quae accommodari queant.“
Scripsit praeterea *Rolfsincius* idem „Epitomen methodi
„cognoscendi et curandi particulares corporis affectus,
„Jen. 1655.“
- G. W. Wedel*, Amoenitat. mater. medic. Jen. 1684.
- Fr. Hoffmann*, Opera omnia &c. passim.
- H. I. Rega*, Diff. de Sympath. s. consens. part. corp. hu-
man. ac potiss. ventricul. in stat. morbos. Harlem 1721.
- Ejusdem* Accurat. medend. method. Colon 1723.
- H. Boerhave*, Aphorism. de cognoscend. et curand. morb.
Lugd. Bat. 1737. 8. Aphorismor. I—217. therapiam
generalem spectant.
- I. Junker*, Conspect. Therap. general. Hal. 1736.
- H. F. Teichmeyer*, Instit. mater. medic. s. apparatus, ad mat.
med. et method. medend. Jen. 1737.
- I. H. Schulze*, Therap. general. Hal. 1746.
- A. F. Büchner*, Fundamenta therap. gener. Hal. 1747.
- R. Mead*, Monita et praecept. medic. Lond. 1751.
- Chr. G. Ludwig*, Instit. Therap. gener. Lips. 1754. 1776.
- A. Duncan*, Elements of Therapeut. Edimb. 1773.
- Th. Whitters* Bemerk. über die Fehl. bey dem Gebr. der
Arzneymittel. A. d. Engl. Leipz. 1776.

- J. E. Hebenstreit*, Palaeolog. Therap. Hal. 1779.
- A. de Haen*, Praelect. in instit. Boerh. Vol. V. Vind. 1782.
- Ch. Fr. Elsner*, Beiträge zur Fieberlehre. Königsb. 1782.
- M. A. Weikard*, Der philosoph. Arzt. Freyst. u. Leipz. 1802.
- I. D. Mezger*, Grundf. der allgem. Semiot. und Therap. Koenigsb. 1785.
- G. Gu. Ploucquet*, Fundament. Therap. catholic. Tübing. 1785.
- I. Gregory*, Uebersicht d. theor. A. W. II. Th. Leipz. 1785.
- I. Gardiner*, Untersuchungen über d. Nat. thier. Körper. Leipz. 1786.
- F. Hildebrandt*, Versuch einer philosophif. Pharmacolog. Braunschw. 1786.
- E. A. Nicolai*, Recepte u. Kurart. Jen. 1788 fq.
- I. C. W. Junker*, Versuch ein. allg. Heilkund. Hall. 1788.
- I. Anderson*, Heilkundig. Bemerk. über die Ausleerung. Bresl. 1789.
- A. Fr. Hecker*, Therap. general. Berl. 1789.
- Ejusdem*, Archiv d. allg. Heilk. Berl. 1790 fq.
- F. I. Gall*, Ueber Natur und Kunst im krank. und gesund. Zustand. Wien 1791. (Aureum opus.)
- B. Carminati*, Hygiein. Therapeut. et mater. med. Paviae 1792.
- A. Fr. Hecker*, Neues Arch. f. d. allg. Heilk. Leipz. 1793 fq.
- I. Ch. G. Ackermann*, Instit. therap. general. Norib. et Altd. 1794.
- M. A. Weikard*, Magazin d. verbeff. theor. u. pract. A. K. Heilbr. u. Rothenb. 1796.
- W. G. Ploucquet*, Patholog. mit allg. Heilk. in Verbind. Tübing. 1797.
- I. Cl. Tode*, Allg. Heilkund. &c. Kopenhag. 1797.
- I. Browne*, Syst. d. Heilk. überf. v. Pfaff. Kopenh. 1798.

- A. Röschlaub*, Magaz. zur Vervollkommn. der Heilkunde.
 Freft. 1799 sq.
- E. Horn*, Beiträg, z. medic. Klinik. Braunschw. 1800.
- Stolperius*, d. junge Arzt am Krankenbett. Manh. 1800 sq.
 Tom. IIIus hujus est argumenti.
- Ch. W. Hufeland*, Syft. d. pract. Heilk. 1r Bd. Jen. u.
 Leipz. 1800.
- I. C. Reil*, Rhapsod. über die Anwend. d. psych. Curmethod. 8cc. Halle 1803. (Opus classicum.)
- E. Horn*, Klin. Taschb. f. Aerzt. u. Wundärzt. Berl. 1803.
- G. W. Block*, Neue Grundl. zur Theor. der Heilkunde, Braunschw. 1803.
- I. H. Bresfeld*, Beitr. z. d. Grundzügen der Heilk. f. d. gegenwärt. Zeit. Münster 1803.
- I. Frank*, Erläuterung, d. Erregungstheor. Heilbr. und Rothenb. 1803.
- Troxler*, Ideen z. Grundl. d. Nosolog. u. Therap. Jen. 1803.

* * *

Non erit, quod moneam, disciplinam hanc quovis aevo, pro variantibus opinionibus atque principiis pathologicis eorumque imperio, modo hanc, modo illam, e methodorum sic dictarum fundamentalium numero *principalem* agnovisse, cui caeterae, quasi vilioris momenti, cedere credebantur. Sic e. g. mox methodus imperavit diaphoretica, mox psychica, aliis iterum temporibus gastrica. Non defuisse scimus, qui mori huic explicando ea quidem ratione annisi sunt, quod medicorum turba, indaginem et disquisi-

tionem diligentiores abhorrens, eodem morbos omnes tractare modo maluerit, ne artis exercitium difficile nimis reddatur. Si vero memores simus, eminentissimos et egregio ingenio ornatos omnis aevi medicos inveniri, qui unam prae aliis methodum frequentissime sequebantur, facile de eo convincimur, quod aut isti pecudis imitatorum nomine sint objurgandi, aut altera elici debeat ratio, ex qua methodus una e caeteris frequentissima soleat adhiberi. Dubito, fore plures, qui divum tot virorum ingenium negare mallent, quam causam alteram moris dicti quarere. Nec ego quidem hoc perquam difficile puto. Liceat, periculum hujus rei ut faciam, quae mihi adrident causae sagaciori peritorum censurae offerre.

I. *Mores saeculi*, ut mihi videtur, methodum medendi potissimum vigentem quam maxime moderentur in aprico est. Ab istis enim genius cum caractere morborum essentiali pendet. Alia certissime medela eo nimirum tempore apud Germanos opus erat, quo *Tacitus* eorum imaginem graphice depinxit; alia apud nostrates. Illorum morbi hypersthenicam plerique naturam induebant, cum coeli, vitae generis, virium agitarum et cupidinum moderatarum conditio huic genio pathologico mire fa-

vebant. Methodo sic dicta antiphlogistica (debilitante) jure plurimis erat occurrendum aegrotis. Aliter res se habet inter nostrates. Dapium lautitia nos sensibus fecit addictos, adauxit incitabilitatem nimiam et stimuli mille rapidissime virorum somitem consumunt. Lasitudine molli languescunt organa, morbi fere omnes debilitatis notam ferunt, et methodorum, quas incitantem atque roborantem vocant, imperium cepit. Ponamus, pristinum genti robur redeat, redibit et methodus medendi pristinæ autoritas et frequentia. Quo magis sæculi character, gentiumve mores culturae cutis per vestimenta perspirabilia, moram sub coelo, balnea succurrebant, eo magis semper methodus sic dicta diapnoica et diaphoretica famae sibi tribuit, nec quidem immeritae, cum natura ipsa hoc criseos seu iudicationis atrio in morbis utebatur, quam ars prudens non posset, quin sequeretur. Neglecta posthaec cutis cura organon hoc languit, par non amplius functioni suae, tam gravi in oeconomia animali. Pro ea, quae inter peripheriam animantium intercedit et tubum intestinalem sympathia, canalis iste organon cutis fit vicarium. Cum vero illi aliud natura commendaverit munus, digestionem nempe, et intestinorum tractus utroque rite fungendo viribus non par sit, lae-

datur digestionis negotium et viae primae for-
dibus turgeant earumque phaenomena edant,
oportet. His methodo, quam gastricam nomi-
nant, succurrere medicis visum fuit, quae, ob
neglectam undique cutis curam debilitatoque in-
super immodica dapium luxuriæ abdomine, un-
dique etiam prae caeteris ex eo tempore valuit.
Historia medicinae apud Romanos, Graecos et
Germanos facta fat probantia hujus rei offert.
Ex eo enim tempore; ex quo vitae genus luxu-
riosum gentibus his arrisit, ex eo etiam clinices
Hippocraticae autoritas abiit gastricaeque aevum
coepit.

II. *Constitutio regnans.* Quanta sit ejus vis
in excolenda morbi natura et forma, non latet.
Nemo enim erit medicorum rationalium atque
eruditorum, quin, quid *Grantio* in elicienda
hac veritate frugifera debemus et *Stollio*, pro
comperto habeat. Quotidiana insuper experien-
tia haec in dies probat atque confirmat, ita,
ut axiomatis instar omnibus valere possint. Sed
accuratori rei hujus indagine eo pervenimus,
ut non amplius habeamus, quod dubitemus,
constitutionis ejusmodi durationem annum cir-
citer aut quid excurrit vincere non posse, cum
typhosus, qui nunc morbis accedit character,
ex annorum fere decem serie iam longè late-

que eminuit et, ni fallor, longiorem adhuc implebit. Et ex hoc ipso tempore methodus Browniana medicis placere Germanicis visa est, non illis quidem exceptis, qui gastricae hucusque prae caeteris ardentissime favebant. Convicti enim sunt attenta observatione, optima diversarum opinionum conciliatrice, aegrotos nunc temporis e propinatis pharmacis sic dictis res solventibus et evacuantibus multum detrimenti cepisse, utilitatis permultum e contrario e methodo incitante correcta. Illa modo medicorum plebs, qui amaurosi intellectuali premitur ac sola consuetudine regitur, eadem, qua antea, via incedit occasionemque fronte arripere nescit.

Attamen methodi huic spem autoritatis permanentis eo minus facere nollem, quo magis eo jam abutitur quoque graviores in natura revolutiones praeparari videantur, quae genium morborum regnantem sat facili negotio immutare possint. Cum ab imminente forsan revolutione naturae loquor, idearum asfociatione ad

III^{iam} rationem adducor, ex qua methodorum medendi maxime adridentium delectus derivari posset — *revolutionem in principiis pathologicis*. Perpaucos fore credo, quin concedant hanc plerumque constitutione regnante, moribus saeculi et vitae genere magna pro parte

moveri ac moderari, si antea a me proposita perpendere velint. Quanam, quaeso, re medici impulsī sunt, novas incedere vias, quibus causae morborum genuinae (remotiores sint, an proximae) rectius investigarentur ac explicarentur; si negare cupiamus, hoc ea ex ratione factum esse, quia indicationes secundum regulas hucusque consuetas formatae expectationi non respondebant! Quid verisimilius, quam ut ea organa, eaque functionum genera morborum genetrices aut atria accusarentur, quae prae aliis aut gradu, aut frequentia, maxime affecta reprehenderentur! Notum vero est, eo magis perceptibilitatem (Gefühl) eminere, quo magis robur (innere Bedingung der Kraft) evanuit. Ut politissima porro est gens, ita eminentissima perceptibilitas ejus quoad corpus et mentem observatur. Quis praepositis hisce mirabitur, quod aevo nostro, sensualitate nimia aegrotante, morborum pathologiam unacum therapia e facultatis perceptivae principio conditam videamus. Equidem libenter concedo, artis medicae theoriam etiam pro disciplinarum, quae auxiliares audiunt, cultura, amplificatione correctioneque variari debere; sed non minus erit fatendum, ut phaenomena vitae sanae morbosaeve justo nimis prout lubet explicemus, neglecta

experientia repetita et perspicaci; ut vires constituamus hypotheticas illisque concedamus proprietates, tanquam probatione antecedente, ut existant in re, non eguisset; ut denique talem harum virium conditionem conjectura adsequamur, qualem mos et philosophia saeculi aequae ac constitutionis physicae universalis ratio hoc tempore verisimillimam praedicant. Negare non cupio, quod medicina hodierna omnia ab una modo parte considerare mihi videatur, cum quantitates sublimiores (vires organicas) solum respicit, qualitates manifestas (materiam organicam) omnino fere negligns.

§. 5.

De experientiae genuinae et spuriae charactere.

Disciplinam medicam mere empiricam atque experientiae genuinae filiam esse, supra (§. 2. 3.) iam monuimus, nec quispiam amplius de eo dubitabit. Praecepta igitur hujus disciplinae omnia non a vana speculandi cupidine parta sed e casta, diligenti repetitaque observatione hausta requiruntur. Conducit posthaec, observata ingenii sagacis et iudicii acutioris maturique ope examinare eorumque pretium ac

utilitatem constituere. Sed duplex exstat experientiae genus, *genuina* nimirum et *spuria*.

§. 6.

Experientia spuria.

Communis est mos, quo longior quis vixerit, eo magis expertum illum credere, tanquam virtus colligendi experientiam nulla egeret cultura, nec opera. Solam inter animadversionem (plerumque involuntariam) et experientiam differentia notabilis intercedit. Priori rerum perceptioni sufficit scire, factum esse aliquid, non vero ei interest, penitus investigare, quae factum movebant; gradum aut naturam eruere, quibus movens illud gaudet; sufficit scire, *an* factum sit, *quomodo* vero, *quantum in modum*, *quare* hoc evasit? haec observator talis non curat. Multo minus eiusmodi homo impellitur ad disquisitionem, verane sit causa, quae phaenomenon aut factum parere videtur, an sit modo speciosa. „Hoc phaenomenon cum altero „coexistit, aut alterum antecedit, ergo causam „alterius continere debet“ — en logicam, qua utitur! Omnium minime autem in eo versatur, ut phaenomena sibi similia accuratius inter se comparet; ut attendat, an aequalibus sub circumstantiis modo sic, modo aliter fiant, aut an

circumstantiarum diversitate tamen aequali ratione appareant; ut adscendat ad facta remotissime antecedentia et studeat, nonne forsan in istis conubium causale cum praesenti facto detegere possit; ut denique ex observatis et perpenfis his omnibus objecta sibi colligat, quae recurrente occasione data denuo examinare. modulari atque accuratius definire possit, ita, ut valorem certum induant. His lineis *experientiae spurtae* tabulam depictam habeto, quae ad errorem et languescentiam mentis ducit, nunquam vero ad veritatem. Parit haec et peperit in medicina omnis aevi empiricorum gregem; credulitatem peperit et fovet, quae remediis fere omnibus qualitates occultas specificas tribuit et a disquisitione abhorret, medicaminum naturam diligentius intrare, qua melius eruta idea specificorum plane perit; in ea denique ratio erit quaerenda, quare permultae morborum formae adhuc artem cum artiffa dant ludibrio.

§. 7.

Experientia genuina.

Missa haec spuria ad experientiam genuinam accedamus, cujus notas diligenter indicare laborem non irritum fore putavi. Qui hujusmodi experientias colligere cupit, sequentia

examinet, volo, sine quibus nimirum vix unquam jure persuasum sibi habere possit, rem observatam eum nulla ratione fefellisse.

§. 8.

1) *Ingenio sagaci et sensuum acie atque subtilitate praeditus sit.* Fallacem nempe eamque miram phaenomena morborum mentiuntur similitudinem, quae quoad naturam suam toto coelo distant. Quo, quaeso, discrimine subtilissimo saepius exanthemata febrilia inter se, quo phlogoses abdominales hypersthenicae latentes ab affectione rheumatica et spastica, quo ventriculorum cerebri inflammatio asthenica hydropigena à morbo verminoso distant; ut centena alia exempla tacendo praeteream, quae hanc rem gravius adhuc probare possint, quorumque censuram Cl. *Wichmann*, *Dreysig* aliisque debemus. Sensibus vero externis rerum phaenomena accurate percepisse non sufficit, nisi interno haec critice pondereamus atque eruamus: quoniam connubio causali inter se cohaereant; quibus regantur legibus: quare ita fiant, non aliter?

§. 9.

2) *Quaerat occasionem crebriorem, eandem rem observandi, ne manca sit at-*

que fallax observatio. In tanta rerum disquirendarum copia characterumque discernentium subtilitate non potest fieri, quin observatorem, etsi mira diligentia utitur, nonnulla tamen fugiant, quae ad disquisitionem et dijudicationem hujus rei multum conferre possent. Hoc si iam strenuo scrutatori accidit, eo magis illis evenire concedamus oportet, qui paulo fugaciori oculo atque minus severa lentaque attentione phaenomena intuentur. Et hanc mentis severitatem, hanc constantem, providentem circumspectamque patientiam paucis certe modo a natura concessam aut studio partam esse, nemo forte negabit. Prodeat vero, qui hisce gradu insigni gaudeat, nihilominus tamen concedendum erit, et hunc interdum falli posse, si singulis modo vicibus hanc rem, siue illam, contemplerit. Poterit, quaero, constantia rerum phaenomena firmitus stabilire et a fortuitis rectius distinguere? Poterit definire, utrum inter phaenomena duo coexistentia et simul eodem in momento evanescencia alterius sit causa, si etiam ponamus, causalem inter illa relationem existere? Quin imo saepe saepius accidit, ut nullo phaenomena haec inter se vinculo causali cohaerent, sed tertium aliquid agnoscant fontem communem, quod, quale sit, nunc eruendum venit.

Dies diem hinc docet. Dogmata pro axiomatibus per saeculum venditata, horae unius spatium saepe iam somnia vana esse demonstravit atque oblivioni tradidit. A qualibet nimirum parte rem aliquam intueamur, semper fere diversa, aut mutata saltem, sub facie apparebit. Repetita observatione conduntur regulae; repetitori moderamina inveniuntur, quibus illae accuratius definiri possunt. Monendum etiam puto, ut experientiae genuinae multum conducat, si observator, qualibet nova occasione rem examinandi data, non eadem, ut antea, via incedat, quaerens, an alia forsan penitus in rerum naturam intrare, alium sibi parare possit adspectum aliamve notionem; sicque eo duci, ut sagacius dijudicet objectum. Attamen vereor, ne unquam hunc finem adsequatur, nisi artificio uti velit, ut, quantum modo fieri possit, in mentem non revocet, qua ratione, connectione, ordine chronologico phaenomena haec olim animadverterit. Ad hunc scopum rectius adsequendum juvabit, chartae mandata non eo in momento legendo percurrisse, quo quis objectum idem denuo contemplandi occasionem nactus sit.

§. 10.

3) Aequali ex ratione ab omni praconcepta opinione hypothesique theoretica illi adridente solutus, strenuo incorruptoque veritatis amore e contrario munitus, ad observationem accedat. Si hac enim sparta etiam ea, qua deest, fide fungi apud animum constituisset, attamen impediri vix potest, quin haec, quae hypothesi omnium gratissimae potissimum annunt, gravioris momenti, eaque ex causa ante alia diligentius ponderanda, illi videantur; cum e contrario omnia, quae hanc forte contra opinionem repugnare possent, nugas esse, neque ad rem ullo modo facientia, facillime sibi persuadeatur seque ipsum sic nimis tute fallit. Mediocri tantum attentione eget, de eo convinci, quantum sit opinionis imperium in rationem, praecipue, quo magis phantasia vigeat.

§. 11.

4) Studeat igitur religiosissime atque intentis viribus, ne foveatur phantasia, sed potius perdurante observatione diligentissime frenetur. Duplex datur facultatis hujus genus: reproducentem nimirum illam reperimus, reperimus producentem. Illa, quae

jam olim re vera visa sunt et experta, denuo menti repraesentat coloribusque ita vigentibus depingit, tanquam nunc modo sensu externo perciperentur, vel interno cogitarentur. Quamvis vero in veritate rei phantasia versetur, tantum tamen abest, ut historica semper fide utatur aut etiammodo, nulli parte addicta, cogitatorum et observatorum vitia animadvertere permittat; quin potius e contrario novam illis speciem eamque fallacem addat, et a disquisitione accuratiori criticaque animum abducatur.

Producens autem phantasia multo majores adhuc insidias observatori perscrutatorique ponit. Haec enim non contenta, ut, quae sensus afficiunt, ornet atque variet, eo potius procedit, ut nova, quae hoc saltem momento nobis in praesentia reali non existunt, fingat et componat, neque raro nobis persuadeatur, imagines hasce re vera esse visas aut alia ratione expertas. Affinitas sororia, quae phantasiam inter et sensus externos intercedit, fallaciam hanc facillime et sufficienter explicabit. Sensuum externorum nimirum ope, clarissimas rerum notiones accipimus; quod si alia ratione eodem in gradu imaginationis producentis vi accidit, et ejus praeterea fictiones aequali neque fugaci distinctione menti repraesentantur, decipitur

illa, potissimum cum attentione accuratiori hic semper careat, judicans, ea, quae clara nunc adprehenduntur, sensibus esse adprehensa.

§. 12.

5) *Omnem navet operam, ut repetita observatione experiatur, an iisdem sub conditionibus res eadem aliter fiat, an aequali ratione mutatis conditionibus procedat?* Hac incedens via penitus in veram causarum et phaenomenorum naturam intrabit et notiones sibi parabit accuratiores easque, quantum homini concessum est, perfectiores. (§. 9.)

§. 13.

6) *Ut ejusmodi indolis sit observatio, observantem oportet notionum diversi generis imbutum esse divitiis.* Hinc numerandae veniunt omnes, quas disciplinarum medicinae auxiliantium nomine complectimur: Physicam, puto; Historiam naturalem universam; Chemiam; Mathefin; Logicam cum Psychologia empirica et Anthropologia. Neque minus in scientiarum amplitudine optime versatus fit, quibus medicinae theoreticae fines circumscribuntur.

7) *Denique caveat, ne nimiam aliorum asserto fidem habeat, antequam de diligentia castitateque auctoris omnino sit convictus.* E nulla enim re doctrinae fide dictae empiricae plus unquam detrimenti ceperunt, quam e coeca fide nomini celebriori tributa. Sagax e contrario scepsis utilitatis multum iis semper adtulit, accuratiora eorum dogmata stabilivit, quin imo, ut nova forte reperiantur, ducem sibi praestantissimum praebuit. Quae hoc loco monui, egregie probantur Physices hodiernae ac Chemiae fatis, quae correctiorem nimirum formam suam atque majus in dies incrementum foli huic scepsi debent. Nec negari potest, in tanta rerum observandarum ubertate et minutia, diligentissimo etiam ac divo ingenii acumine praedito perscrutatori nonnulla tamen effugere posse, quae accuratius perpenſa toto coelo fortasse differentem, ne dicam oppositam, speciem rei conciliassent. Quod eo magis evenit, quo observator opinione iam praeconcepta aut hypothese omnium gratisſima imbutus contemplationem adgressus est. Peritissimum etiam et maxima ingenii, sensuum attentionisque acie ornatum virum hac labe non semper esse immunem, clariora tot exempla docuerunt,

quibus *Terentianum* illud — „homo sum, hu-
 „mani nihil a me alienum puto“ — egregie
 proh dolor! comprobatur.

* * *

Sufficiant haec pauca aequo rerum censo-
 ri, quae fortasse prolegomenorum instar in ge-
 neralem medendi methodum valeant. Fa-
 teor insuper, me consilio Cl. *Balk*, Pro-
 fessoris in -Universitate Literarum Caesarea
Dorpatensi, impulsus esse, ut hanc mihi mate-
 riam conscribendae disertationis objectum ex
 aliis eligerem. Verbis ipsis amicissimi viri utar,
 quae spe simul niti jubent, ut in hac musarum
 sede et in posterum varia Therapiae generalis
 capita fuerint uberius pertractanda.

„Nur im Allgemeinen lassen sich gewisse feste
 „Grundregeln aufstellen; im Speciellen fallen diese
 „schon wegen der unendlichen Mannigfaltigkeit und
 „Unbestimmtheit weg. Das Auffuchen und Auffassen
 „des ersten, bildet den Denker; das ängstliche Kleben
 „an dem Besondern nur den Handwerker (Routinier)
 „unter den Aerzten. Jener steht festen Fusses; dieser
 „wird ewig von Zweifeln gewogt, macht, wo er sich
 „entschliesst, oft gefährliche Misgriffe, wenn ihn nicht

„ein glückliches Ungefähr schützt. Meistens artet er
 „am Ende (wenn er anders einige Belesenheit hat) in
 „einen Kleinigkeitskrämer, oder in ein lebendiges prak-
 „tisches Lexicon aus, welches in einem Athem tausend
 „gleiche Fälle aus hundert Beobachtern, sammt den dar-
 „in angewandten Formeln, empirisch-historisch auf-
 „zuzählen weiß, ohne über jene oft buntscheckigen
 „Methoden ein kritisches Urtheil fällen und die pas-
 „sendste für seinen heurigen Bedarf auswählen zu kön-
 „nen. Da geht es denn an die sogenannten *Juvantia*
 „et *Nocentia*, bis man aufs rechte Mittelchen für
 „den gegebenen Fall, Grad und Complication stößt.
 „Es ist ein wahres Greifen in einen vollen Glückstopf,
 „in welchem zwar der Gewinne mehrere, aber die mei-
 „sten so klein sind, daß sie nicht an den Einsatz
 „reichen. Die weisere und bescheidne Natur löset indes-
 „sen den schwierigen Knoten unbemerkt allein glück-
 „lich auf und der dünnkelvolle Aesculap rufft nun im
 „Siegerton fein — „*adsum, qui feci*“ — mit
 „*Nisus* im Virgil; eben so unwahr, aber minder
 „edel, als dieser.“

„Ich für meinen Theil bin vollkommen überzeugt,
 „daß ein heller Kopf, der eine vollständige und logisch
 „begründete allgemeine Therapie inne hat, ohne je-

„mals etwas über specielle Heilkunde gehört, oder gele-
 „sen zu haben, jede Krankheit, bei deren Heilung nicht
 „etwa ein kunstgerechtes Manual die Hauptsache ist,
 „schneller, gründlicher und für die Folgezeit glücklicher
 „heben werde (obgleich er natürlich über ihre systema-
 „tische Benennung verlegen seyn würde) als der Com-
 „pendiarist, der die ganze Stufenleiter specieller The-
 „rapeutiken vom Hippocrates an, bis auf Frank,
 „den Hippocrates unsrer Zeit, an den Fingern herzu-
 „zählen vermag.“

„Daher werde ich allen auf dieser Universität die
 „Medicin studierenden Jünglingen, die mich bei ihrer
 „bevorstehenden Promotion um die Wahl eines The-
 „ma's zur Inauguraldissertation um Rath fragen, den
 „ertheilen — einzelne Capitel der allgemeinen The-
 „rapie dazu zu wählen.“

„So hoffe ich nach und nach von diesem Musen-
 „sitze eine als Materialien für künftige Bearbeitung
 „dienende gewiß nicht überflüssige Sammlung von Mo-
 „nographien der sämtlichen generellen Fundamental-
 „Heilmethoden geliefert zu sehn.“

„Wenn gleich dabey nur das kleine Verdienst auf
 „mich zurückfällt, einen nützlichen Wink gegeben und

„die Ausführung desselben durch meine mir als Amts-
 „pflicht obliegende Vorlesungen über diese Sciencz eini-
 „germaßen erleichtert zu haben; so wird man mir
 „auch dafür schon vielleicht hier und da Dank wissen.“